EPICEDIA

Honori & Felici Memoriæ

VIRI

SPECTABILIS ET AMPLISSIMI

DN. GEORGII SIEFERTI

BURGGRABII ET CONSULIS INCLYTÆ THORUNIENSIUM REIP. SPECTATISSIMI.

Qui

In ipsa Natalitiorum Domini Epibda placidè in Christo naturæ debitum exsolvit, sub initium Anni

ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας

M. DC. XVIII.

properata

à

Docentibus in Gymnasio Thoruniensi.

THORUNII

Typis AUGUSTINI FERBERI.

AD VIDUAM ET LIBEROS PIE DEFUNCTI.

SIEFERTUS CONSUL patri dum reddit olympo
Mentem ſolutam corporis contagio,
Thrax ego ſum, lachrymis nec mollibus, im-
Expedio munus funerale plauſibus. (mo ſecũdis
Ecquis enim portum Nautæ, Extorri quis avitam
Domum, Viatori inviderct otium?
Fata tamen Patriæ doleo, doleoq; relictæ
Prolis vicem, vicemq; viduæ Conjugis.
Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus uvæ:
Sic Ille Patriæ decus ſuæ fuit.
Nec ſic tibicen ædes aut deſtina firmat
Ut ille rem Propagis atque Conjugis.
In primis ſortem Michaeli defleo Nati,
Qui nuper hinc Scholas petivit Publicas:
In quibus, heu, illi quæ nuntia prima ferentur,
Erunt Parentis de ſepulchro nuntia.
Sed quid agat? lucem quàm primũ adſpeximus almã
Hoc nos adegit ad ſacramentum DEUS;
Ut ſortem placidâ mortalem mente ferentes
Terrena terræ non gravemur reddere.
Lex ea dura quidem, ſed lex perſcripta, nec ullâ,
Quàm ſponte ſi ſequâris, arte flexilis.
Hac ergo ratione ſuos, hac arte, dolores
Sedare diſcat: Marte nil hic egerit.

Si verò ire juvat via quò non-publica ducit
Vitam Parentis ruminetur integram,
Qualeq; Candoris specimen, Pietatis avitæ
Exemplar, omnis atque fuerit officI,
Cogitet, atq; adeò quò vivus abire parârit
Revolvat, & ponat modum ægrimoniæ.
O ter & ô quoties non est numerare, beatum,
Mortalitatem qui paratus & volens
Excipit, & vitam satur ut Conviva relinquit,
Speiq; certus, non, ut affectet mori,
Oderit aut vixisse, metu sed liber ab omni
Deo vocanti obedit haut ingratiis.

CUNRADUS Graser R.

S*I Libitinæ tuam Mortales frangere possent,*
Et quam gens struxit vitæ inimica Domum,
Non jam ferreris nigro, SIFFERTE, feretro,
Dignus perpetuo lucis honore frui.
Sed nunc mœsta gemit Domus Hæc: *Respublica luget:*
In lachrymas abeunt omnia vota Piûm.
Curia *sic deflet sortem, quæ* Nestore *fido*
(Heu dolor!) orbata, spe fugiente, siet.
Templa Scholæq; *gravis meritò dant signa doloris:*
Matrem *namq; Scholæ, Templa habuêre* Patrem.
Sed quid? pone metum, lachrymas abstergite Musæ:
Non vult nos miseros deseruisse DEUS.
Vulnerat ille animas; idem quoq; vulnera sanat,
Felix qui didicit subdere colla DEO.

M. Basil. Czöln. ConR.

OMnibus est nobis moriendum: nullus in Orbe
Est locus, in quo Mors non necet atra homines.
Nulla ætas sævâ est à Mortis libera falce:
Seriùs aut citiùs Mors necat atra homines.
Infantes obeunt: obeunt, quos Martia signa
Fecêre insignes: Morte caduntq́; Senes.
Insidias cuivis quasvis Mors ponit in horas.
Haut opus exemplis: quælibet hora docet.
Dices: Vulgatum hoc: rarum mihi profer: amica est
Naturæ novitas: rara placere solent.
Ast ego vulgatum hoc repeto: Mors sævit in orbe:
Ingemino: Cuncti Mortis adimus iter.
Sed cur hoc repeto? Sophia est meditatio Mortis:
Qui Mortis meminit: sanctior esse potest.
Cautior esse potest, quem Mors horrenda subinde
Terret, & à vitiis ad bona facta vocat.
Sanior esse potest, contemnere gaudia vana:
Delicias varias spernere & illecebras.
Et quicquid Mundus magnum putat: illud inane
Vileq́; Mors nobis insidiosa facit.
Sic sapiunt homines, recolunt dum vincula Mortis:
Vincula, quæ rupit gratia dîa Patris;
Patris cœlestis, qui nobis cœlitus offert
Per CHRISTUM æterni munera grata Boni.
Et tibi, Vir præstans multâ Virtute GEORGI,
SIFERTE assiduè Mors meditata fuit.
Nam Prodromi Mortis morbi afflixêre subinde
Te, & memorem mortis constituêre tuæ.
Hinc Pietatis amor major tibi crevit, Honestas
Virtutesq́; aliæ complacuêre magis.
Profuit in vitâ multum meditatio Mortis:
E vitâ in vitam te tulit illa sacram.

Iamq; DEI adſpectu frueris ſine fine cupito:
Atq; animam paſcis cognitione DEI.
Salve hoſpes cœli, CHRISTI hoſpes lote cruore:
In CHRISTIque ſinu molliter uſq; cuba.

M. Adamus Freitag.

Προσφώνησις defuncti ad relictos liberos.

QVid fruſtra lachrymis inficitis genas,
Et me propoſito vertere tramite
Quid tentatis? ovans, ô mea pignora,
Quò ducit Dominus ſequor.
Ad campi viridis mitia pabula,
Quæ veris teneri pingit amænitas,
Abducor placidè, corpus ut algidum
Feſſus molliter explicem.
O quàm purus ibi lætitiæ fluit,
Quàm blando recreat murmure Spiritum,
Et membris tribuit robora langvidis,
Rivus leniter adſtrepens!
Saltus incoleret cum mea terreos
Mens, mundi teneras illecebras ſequens,
Abduxit miſeris me miſerum modis
Sæpe in triſtitiæ viam.
Sed me ſydereas ut Deus in domos
Retraxit, vario liber ab impetu
Jam nil ſollicitæ ſede Deûm ſacrâ
Vitæ tempora tranſigo.
Nec ſi, neſcio quas munifica manu
Sors ſpondere velit divitias mihi,
Ad veſtros, ſuperis lapſus ab ædibus,
Optem pergere carceres.
Hîc menſas epulis accumulat DEUS.
Hîc vinum pateris ſufficit, & caput

Optato

Optato recreat fomite, Spiritus
Gaudet perpete gaudio.
Vos, ô vos, bonitas, dulcia pignora,
Vos nunquam Domini destituat favor:
Nec vos sollicitet Mors mea, vivere
Nunc verè incipio DEO.

Iohannes Thamnitius.

QUi Patriæ Columen dictus fuit, Ara clientum,
Qui bonus usq; bonis & malus usq; malis?
Qui sibi mandatæ commissa negotia spartæ
Gnaviter expediit, suaviter & graviter:
Qui se promeritis & Prole reliquit in Orbe,
Qui posuit Patriâ perpes in Urbe decus;
Qui vitâ fessus, vitæ transire tumultûs
Ancipites voluit, Morte piâ valuit:
Is meritò laudum summo decorandus honore,
Carmine, vel Momo judice, dignus erit.
Talis sed quondam, quem dico GEORGIUS ille
SIEFERT Thorunâ CONSUL in Urbe FUIT.
Ergo tuis lachrymas indulge Phœbe ministris,
Et voces, tantum condecorare virum.
Ipse nihil possum; mea me lugere querelis
Musa vetat, sic & sollicitata refert:
Quem decorare studes lugubri Carmine? cessa;
Nil opus est lachrymis illachrymare tuis.
In CHRISTO moritur qui tam benè, tamq; beatè,
Hunc decorare satis Carmine nemo potest.
Nam, qui sic didicit vitam concludere, vitam
Mortuus & moriens & moriturus habet.
Quin potè crescenti Nato bona Fata precare,
Ut desiderium suppleat ipse Patris.

Franciscus Rothardus Mülh. Thur.

Sol

Sol Mundi metæ deductus ad ultima puncta
Solstitialis, ovans jam nova signa subit:
Gaudet & à nobis gressu propiore videri;
Illustrans radio lucidiore solum.
Sic quoq; Sol nostræ fuerat qui splendidus Urbis,
Ut tetigit vitæ puncta suprema suæ,
Scandit ovans nova signa poli, meliorêq; Christo
Parte sui propior cælica tecta subit.
Ergo quid invideas? quid eum revocare labores?
Ex his, quos nolit deseruisse locis?
Quin potius gaude, gremio susceptus Abrami
Gaudia cœlestis quod nova sedis habet.

Leonardus Schato.

Ergo triumphales iterum conscendere currus
Mors parat, & nostrâ Consul in Urbe cadit.
Ergo tot & tragicis nondum saturata triumphis
Itruit in sanctum mors violenta gregem.
Scilicet invidiæ Tibi non satis esset, acerbos
Nî posses casus perpetuare diu.
Vix licuit lachrymas abstergere, quas tua nuper
In Mochingeri funere dextra dedit.
En nobis aliis singultibus improba reples
Pectus, & in fletus nos facis ire novos.
O quam luctificis reples pia pectora curis
Pectora SIFFERTO tam bene juncta suo!
Uxor, Filiolæ, Natus, cum sanguine toto:
In lachrymam inque meros ire redire oculos
Incipiunt, flendiq; modum non ponere norunt:
Tantum tristitiæ mors dare sæva soles!
Quid tamen? ut viridi quod quod tellure repostum est,
Multiplici semen surgere flore solet:
Sic quem Te censes mors improba mortis in umbrâ
Abscondisse, suo tempore vivus erit.
Vivus erit, magnoque iterum redimitus honore,
Gaudia cœlesti sede beatus aget.

Iacobus Langius.